



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 2. Quis, & quomodo tempore pestis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

§. I.

*Quis? quando? & sub quo peccato
teneatur audire confes-
siones?*

122. Sacerdos, quamvis omnia habeat requisita, ut, si velit, possit audire confessiones, sed officium, cui cura animarum sit annexa non habeat, non tenetur confessionem excipere; nisi pœnitentis in extrema, vel etiam gravi necessitate constituti: tunc enim Lex Charitatis obligat; ut: cum moribundus alium Confessarium habere non potest, vel non sine magna difficultate.

At verò Parochi, quorum nomine etiam intelliguntur Curati, Provisi, alique similes, quibus ex officio cura animarum pro foro interno incumbit, tenentur audire confessiones suorum subditorum, non tantum in casu necessitatis, sed etiam quotiescunque isti iustam confitendi causam habent, & eo tempore, ac loco petunt, quo Parochus non est aliis gravibus negotiis impeditus, maximè iis, quæ ad bonum commune Ecclesiæ suæ spectant, ut sunt Conciones, Missæ, funera &c. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 13. n. 2. Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 1. n. 3. Dicast. Disp. 10. n. 480. vide sup. l. 1. p. 3. n. 491. Ratio, quia Parochus est pastor, & pater spiritualis suorum parochianorum; atqui nec Pastor, nec Pater bene agit, si uterque commodè possit, sed ille nolit ovibus, quæ ad ipsarum bonum spectant, ministrare, nisi in extrema, aut gravi necessitate; & iste liberis suis, etiam petentibus velit in eo tantum opem ferre, ad quod sub mortali est obligatus.

Iusta autem confitendi causa esse po-

test. 1. cum urget aliquod præceptum; 2. cum pœnitens est sibi conscius peccati mortalis. vel 3. jam diu non confessus; vel 4. habet singularem devotionem erga aliquod Festum; vel 5. vult lucrari indulgentias; vel 6. suscipere longum aut periculosum iter, aliudve grave negotium; vel 7. putat sibi utile ad vincendam aliquam tentationem.

Neque tamen propterea statim censeri debet Parochus peccare mortaliter, si in istis casibus, excepto primo, semel atque iterum absque legitima causa nolit excipere confessionem unius aut plurium ex suis Parochianis. Dicast. & alii contra Bonac. hinc Disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23. quia per hoc nondum censetur notabiliter negligens in tuo officio. Satisfaciunt autem Parochi, sive per se, sive per alios audiant suorum confessiones. Cum ergo hodie Parochiani habeant ubique ferè tam facilem aditum ad Religiosos, possintque iis confiteri, rectè Palao l. c. n. 4. ait, Parochos vix posse mortaliter peccare, si extra extremam necessitatem ipsi suos non audiant, sed ad Religiosos remittant.

§. II.

*Quis? & quomodo tempore
pestis?*

123. At verò tempore pestis, quæ, cum hæc scribo, miserè depopulata est aliquot Germaniæ Provincias, tenetur Parochus etiam cum periculo vitæ suis Parochianis assistere, eorumque audire confessiones, quia ex officio boni Pastoris debet animam suam seu vitam pro ovibus suis ponere, & non potest tunc sicut mercenarius fugere. Joan. 10. aut velle beneficium invitis subditis resignare; nisi vel ipse, vel

com-

communitas alium idoneum Sacerdotem substituat. Laym. l. 2. tr. 5. cap. 3. n. 3. V. His adde. Palao de Charit. Diss. 1. p. 9. n. 12. & 13. Tenetur autem Parochus audire confessiones non tantum eorum ex subditis, qui in extrema necessitate sunt constituti, seu, qui ob ruditatem non sciunt, nec possunt elicere perfectam contritionem (quia & nos, & alii omnes debemus pro fratribus in tanto periculo constitutis animas seu vitas ponere. 1. Joan. 3. v. 16.) sed etiam aliorum, qui tantum in gravi necessitate sunt, seu, qui perfectam contritionem possunt quidem elicere, sed non sine gravi conatu & difficulter, Laym. & Palao ll. cc. Bonac. Tom. 1. Diss. 3. q. 4. p. 4. n. 5. ubi V. Adde. dicit, Parochum non satisfacere, si tantum expectet, donec vocetur, sed teneri inquirere, quinam graviter indigeant. Sequatur praeunte S. Carolum Borromaeum, qui etiam fuerit Illustrissimae familiae, Archiepiscopus, & Cardinalis, tamen non abhorruit, peste per Urbem Mediolanum miserè grassante, infectos ipse adire, usque Sacramenta administrare. Qui fuit in terris exemplo, jam erit è caelis praesidio.

124. Ad hoc onus autem levius ferendum, non parum juvari potest Parochus, si seqq. doctrinas, & industrias à Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 4. Palao de penit. Diss. III. p. 19. S. I. n. 5. & seqq. Gob. tr. 1. à n. 116. Chapeavill, Zambr. & aliis traditas observet. I. sicut antidotis contra pestem necessariis, (quae praebere debet communitas) ita vel maximè fiducia in DEUM, & charitate erga proximum se ipsum muniat. II. Muniat ipse, vel alius seridè pro concione omnes, ut dum adhuc sani sunt, maturè per confessionem se cum

DEO reconcilient, & ita piè vivere studeant, ne gratia DEI excidant. III. Infectas aedes, nisi necessitas cogat, non ingrediatur; sed aegros si possunt prodire, audiat sub dio, vel ad fenestras, aut fores aedium. IV. Cum necesse est ingredi ad aegrum in aedes, vel etiam in conclave, consistat in remotiore aliquo loco, & ex eo audiat Confitentem; si iste adhuc possit altiore voce loqui, & nemo alius, qui id percipere possit, simul in eodem, vel vicino loco decumbat. V. Quod si vel aeger non possit amplius alè loqui, vel alii simul audirent, tunc debet Confessarius ita propinquè accedere, ut aeger in secreto confiteri possit. VI. Tamen si ex hac, & propter confessionem fortè longiorem, diutius duratura propinquitate probabiliter timendum sit periculum contagionis, tunc potest pœnitenti dicere, ut unum tantum vel alterum peccatum, quod magis gravat, confiteatur in specie, & de aliis generatim se accuset; eumque statim absolvere. Imò non debet, nec potest audire integrè confessionem longam unius, si probabile periculum sit, ne interea alii sine absolutione emoriantur. Ut autem propterea aeger non multum affligatur, instruat illum, si necesse videatur, in talibus casibus etiam confessionem non integram ad justificationis gratiam & fructum Sacramenti sufficere; & si mori contingat, eum coram DEO non minus fore perfectè absolutum, quam si omnia & singula minutissimè confessus esset; posse autem & debere reliqua tunc confiteri, cum convaluerit. Sicut enim pœnitens non tenetur integrè confiteri, ita & Sacerdos non tenetur integrè audire; cum propterea subeundum esset periculum vi-

ta, vel aliud grave damnum. Laym, Palao ll. cc. Dian. p. 5. tr. 3. Ref. 74. cum aliis apud ipsum. vide *sup.* l. 1. p. 3. n. 61. Unde jam VII. si æger in eodem conclavi cum aliis decumbens velit ipse illis audientibus publicè confiteri Sacerdoti, propter periculum contagionis remotius distanti, potest id licitè facere, proferendo tamen unum tantum, vel alterum peccatum levius, quod nec ipsi infamiam, nec aliis scandalum, nec ulli damnum pariat. Atque hoc ipsum etiam ei suaderi potest, quando præsens est contagionis periculum; & post mortem illius Sacerdotis non haberent alii facilè copiam Confessarii. Potest enim cum hoc suo incommodo vel se servare vitam Sacerdotis tam necessari. Quod si verò nolit, non est multum urgendus. Cum enim hinc & nunc teneatur confiteri; non autem teneatur alio modo confiteri, quam quo Christus instituit, nimirum secretè; hoc ipso etiam non tenetur per publicam confessionem impedire periculum Confessarii, & aliorum.

§. III.

Quando in peste excusetur ab audienda confessione aliorum?

125. VIII. Ipse autem Parochus, vel ejus loco substitutus alius Sacerdos, quia, si in aliquo pago vel oppido pestifero sit solus, cavere debet, ut dictum est, ne, dum unius non graviter indigentis spirituali utilitati consulere intendit, plures alii ex ipsius morte graviolem spirituales jacturas patiantur; ideo non facilè debet ministrare cum vitæ suæ periculo Sacramenta, quæ vel secundùm se non sunt admodum necessaria; vel respectu perso-

narum, quarum bonum statum probabiliter cognitum habet, eò quòd nuper (hoc est non pridem) earum confessiones exceperit. Quotiescunque ergo probabilissimè sibi timet periculum contagionis ab aliqua persona, quam verisimilibus conjecturis credit, vel non habere conscientiam peccati mortalis, vel per *perfectam* contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, majus bonum publicæ necessitatis præferendum est utilitati alicujus privatæ personæ. Ita optimè Laym, lib. 2. tr. 3. cap. 3. n. 3. V. Cavere. Iisdem verbis docet hoc etiam Barbof. *de off. Parochi.* p. 2. cap. 17. n. 15.

Eandem sententiam dicit Tan. tom. 4. *Disp.* 7. q. 1. n. 62. esse probabilem expressis his conditionibus. 1. si Parochus moraliter præsumat, & pro certo habeat, ægrum esse bene dispositum. 2. si Parochus magnum & moraliter evidens vitæ periculum inde immineat; & 3. si solus sit; nec spes sit, post ipsius mortem facile posse alium haberi. Agit quidem Tan, ibi tantùm de Extrema Unctione, sed satis indicat, se sequi Suarezium, ita de Sacramentis in genere loquentem. Adde & Filliuc. qui apud Dian. p. 5. tr. 3. Ref. 93. ait, excusari Parochum à ministracione Sacramenti Pœnitentiæ, quando certus esset moraliter, infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vitæ magnum esset ipsi subeundum.

Observa autem hinc, quòd Tannerus velit, periculum Parochi debere esse *moraliter evidens*; & Filliucius cum illo velit, de bono statu ægri debere *moraliter certo* constare; sufficiat tamen juxta Laym. & Barbof. si Parochus periculum *probabilis-*